



Index. Bd 1682.









17
Q. D. B. V. 6
1653 5

HISTORIAM
Artis Scriptoriae,
PRO LOCO

In
Amplissimo Philosophorum
Ordine

benevolè sibi assignato,

PRÆSES

M. FLORIANVS Klepperbein/

Glogaviâ Silesius,
publicè defendet

Ad d. 15. Martii A. clō Ioc LXXXIII.

RESPONDENTE

MICHAELE Rechen/

Stœssena-Misn.

WITTENBERGÆ

Typis CHRISTIANI FINGELII.



Reverendisimo, Illustri ac Generosissimo

DOMINO,

DN. GEORGIO PHILIPPO

*à Beltheimb/ Ecclesiae Metropolitanæ Magde-
burgensi Subseniori, Scholastico, Hæreditario in
Benenroda & Harpfe / Obedientiario in
Güsten &c. &c.*

Ut &

Reverendisimo, Per-Illustri Generosissimoq;

DOMINO

DN. LEVINO JOACHIMO BARONI

à Schulenburg

*Ecclesiae Metropolit. Magdeb. Canonico & Capituli Havelber-
gensis Præsuli, Toparchæ in Lieberosa/ Lamsfeld / Bezendorff /
Alpenburg & Walsleben etc.*

Nec non

Nobilissimo, Consultissimo, Amplissimoqve

DOMINO

DN. IOHANN. HENRICO Dürrfelde/

*Potentissimi Electoris Brandenburgici Consiliario
Gravissimo, rei molendinariae Præsecto, villicationum Ju-
dici Magdeburgi & J. U. Doctori &c.*

Maximis suis Patronis ac Evergetis submissâ animi de-

votione et atem Devenerandis, Colendis,

*Exercitium hocce Academicum eorum Beneficentiarum haud immemor
ut pietatis & debita observantia testem consecrare & dedi-
care voluit, debuit*

MICHAEL Reche.

S.S. Theol. Cultor,



* * (†) * *

AD PEREXIMIUM atqve PRÆSTANTISSIMUM
DN. MICHAEL: *Rechen*

Amicum dilectum.

Magnum *Historia* lumen est. Rerum
antiquissimarum Ideas ita nostris oculis si-
stet, ac si modò vivo quodam exemplo fie-
rent. Sicigitur *præterita* Nobis, *præsentia*
posteritati, si quæ futura, commendat.
Historia verò non alio medio, nisi scripto-
rum artificio, tantam nobis utilitatem præ-
stat. Ex quo non obscure colligi potest,
quanta sit *Artis scribendi* vel *necessitas*, vel
dignitas, vel *utilitas*. Sed hæc modo persequi
neclibet, nec licet. Hoc unicum saltem
indicare placet. Historicam in eo rectè su-
am operam locare, quando *Historiam Ar-*
tis scribendi memoriæ prodit. Nam *alia* si
plurima, quæ nullum ipsi vel *adminiculum*
in

vel *ministerium* præstant, ab oblivione, vel
interitu custodit, quanto magis hoc bene-
ficium *Arti-scriptoria* debet. Arduum igitur
hoc est negotium, & studium minimè con-
temnendum, quod in *Academia* nostra mo-
do suscipis, dum erudite per doctas *collatio-
nes* & *Concertationes Artis scriptoria* lau-
datisimam *Historiam* excolis. *Gratulor Ti-
bi de hoc egregio præclaræ mentis instituto! De-
umq; precor, ut studiis his ex alto benedicere,
faciles progressus Eisdem concedere, felicemq;
tandem ^{ἐπιβασι} ad sui Nominis Gloriam, & Rei-
publicæ Christianæ constantem ^{εὐτυχίαν} cœlitus
adjicere clementissimè velit, cujus Gratia
Paternæ Te, Tuæque studia meis precibus
commendo! Vale! Scrib: VVitteberg. d. 17.
Martii Anno M. DC. LXXXIII.*

*Tua Per-Exim. Præstant.
studiosis:*

JOHANNES Deutschman D.
p. t. Acad. Rector.

Artem scribendi defendere Rechius
arte,

Naturæq; suæ scribere signa cupit;
Prima futurarum sint hæc molimina lau-
dum

Scripta Patronorum semper in ingeniis.

THEODORUS DASSOVIUS. P. P.
& p. t. Decanus.

AU sibus eximiis veniant, precor, omnia
fausta,

Et curas pensent premia largat uas.

Boni ominis causa l. m. q. s.

f.

CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCHIIUS. P. P.

Hinc

Quod Tibi longâ dies multiq; dedere la-
bores

Scire, per astra poli jam pia fama canit.
Hinc bene cùm steteris doctâ plaudente ca-
thedra,

Apprecor, ut felix stet Tibi quisque dies.

Præ eximio Domino Respondenti gra-
tulabundus sc.

PRÆSES.

Si quis amat varias artes, sectatur & illas,
Illorum fructus largiter inde capit.

Assiduè quoque Te fecisse id, Amice colende,
Per doctum specimen comprobat hocce tu-
um.

Faxit Jova, per hoc tua laus & gloria crescat
Quod precor ex imo corde animoq; Tibi.

In honorem Clarissimi Domini Respon-
dentis, Fautoris ac Amici honoratissi-
mi deproper.

M. HEINRICUS Töpffer.
Ingenii

Ingenii dotes, quæ Te natura beavit
Exemplo eximio pulpita nostra docent,
Ausibus his grator, felici sidere porro
Per variam curam ad culmen honoris eas:

*Hæc in honorem clarissimi & eruditissimi
Domini Rechi Fautoris atq; amici sem-
per estimatissimi gratulabundus ad-
jecit.*

M. GODOFREDUS ECCARDUS,
Wittebergenfis

ARs cui natales tribuat scriptoria, scripti
Eximii facies exhibuere satis.

Hinc meritâ & scriptâ decoramus laude labo-
rem;

Qui Tibi det porrò, det Patriæq; decus.

Hæc

*Conterraneo suo honoratissimo gratulabundus
adjecit*


M. CHRISTIANUS HEINSIUS
SS. Theol. Stud:

SERRE RECHÉ / solich dir / zu Ehren etwas
Schreiben /
Da du viel besser doch verstehst die Schreibe-
Kunst?

Auch

Auch macht die Tugend dir bey hohen Häuptern
Gunst:
Was ist es nót hig dann? ich laß es immer bleiben.

seinem geliebten Freunde
JOHANNES JACOBUS Klingenberg/
S. S. Theol: Cultor.



Es wird wohl niemand seyn/der diß nicht sagen köune /
Daß unverdrossner Fleiß Ihm alle Ehre gönne/
Vnd ist es ja gewiß/daß wer die Tugend liebt/
Bekomme diesen Lohn/den wachsamkeit Ihm giebt.
Ihm vielgeliebter Freund lohnt auch die zarte Tugend
In die auch ist verliebt gewesen Seine Jugend
Die Crönet seinen fleiß/und bringet an das Licht
Was man vor wenig Zeit von Ihm gesehen nicht.

BALTH. BENJAMIN Kinderman
Brandenb. March.



Siccine litandum, mi *Rechi*, rere duobus,
Sedulus ac studii thura referre studes?
Musica dulcis amor, nec *Musas* spernis amicas,
Sed junctam svavi vinculo utramq; tenes.
Scilicet has inter nexus qvis, præstat origo
Artis scribendi quam Tua scripta docent.
Divide sic curam, sit semper vivida virtus,
Et veniet viridis palma ab utraq; Tibi.

ita suo per dilecto gratulabundus

JOH: HERMAN. Hoffmeister
Hannovera-Saxo





§. I.



um multa Veterum instituta laude digna sint , tum scribendi inventum sanè præclarum & subtile admirandumq; videtur, idq; non solum ætate priscorum, verum etiam nostrâ memoriâ sapientissimi quique agnoverunt atque in pretio habuerunt. Ex quâ causâ plurimæ inter eos & maximè diversæ extiterunt sententiæ , quibus diu multumq; disceptatum est , cuinam eorum hoc præcipuè tribui debeat: plerique certè humani ingenii captum excedere existimarunt.

§. II.

Et primò quidem divinus Plato, & cum eo Oratorum Princeps Cicero pro insito ingenii acumine censuerunt, vel ipsi DEo, vel homini ad id divinitus excitato scriptionis primordia esse adscribenda, quorum ille in *Philebo* & *Phadro*, hic verò *L. 1. Tusc. QQ.* suam sententiam proposuit. Utrisque assentior facile, eò quod omnia, quæcunque in rerum naturâ existunt, & hominum utilitati inserviunt, omninò ad supremum Numen sint referenda, quod ad gerendas res insignes homini mentem motumq; largitur. Progrediendum tamen ultra est, & videndum, quis ille divinus homo, cui concessum tributumq; a DEo fuerit, tantum tamq; in-

A signè

signe donum, rem multò pretiosissimam inveniendi, inventamq; tradendi aliis, & ad seram usqve posteritatem propagandi.

§. III.

Sunt verò, qvi doctis risum moveant, præsertim ii, qvi originem scribendi ante mundum conditum coepisse asserunt, &, uno ut dicam verbo, in re seria nugantur, nec minori vanitate docent, legem ante mundi initium fuisse scriptam literis igneis nigris in dorso ignis candidi, quæ sententia attribuitur Judæis ap. *Chemnitium Ex. Conc. Tr. p. 13.* Idem, ut *Munsterus Comm. in Gen.* autor est, comminiscuntur, in vespera Sabbathi scripturam inter *lucis* productam esse. Mirum est, eos non addere, ante mundum etiam tabulas illas lapideas esse effictas atqve formatas, & ap. DEUM eousqve reservatas, dum Mosi Lex scripta traderetur.

§. IV.

Interea defendendus venit *Plinius Physiologus*, cui ea vindicatur opinio, quasi literarum usum simpliciter æternum statuisset, *L. VII. c. 56.* cum verba illius longè aliud intendant & vocabulum Æterni cum optimis autoribus pro diuturno & antiqvo sumere mihi videatur. Alioquin ipse Plinius sibi non constaret, qvi præcedente *L. V. c. 12.* Phœnices in gloriâ magnâ literarum inventionis esse dixerat. Et quod *Waltonus Prol. 2. Bibl. Polygl.* & alii citati ap. *Bangium in Cæl. Orient.* ei obtrudunt ac si mundi æternitatem defendendam suscepit, atqve hanc sententiâ de æterno literarum usu hac ratione atq; hypothesi stabiliverit, excusari satis potest. Etenim dicit quidem mundum æternum *L. II. c. 1.* veruntamen addit etiam, eum esse finitum. Jam verò vel leviter initiatus noverit, æternum
num

num non esse finitum. Plinium autem contradixisse sibi, vero simile non est. Quin & Aristoteli, à quo sententiam de æternitate mundi hausisse Plinium dicunt, inter quos est *Kromajerus Theol. pos. pol. art. 4.* nunquam ea mens fuit, ut mundum absolutè æternum diceret: quandoquidem DEum omnium rerum principium & causam asserit, atque adeò æternū pro ingenito habet, uti meritis finus Doctor Theologus *D. Scherzerus* ex Thoma contra Eustachium & Maimonidem deducit, *in Philos. in Cerasop. 342.*

§. V.

Nunc toto agmine prodeunt *Sinenses*, qui ut soli sibi sapere videntur, sic etiam in negotio inventæ artis scribendi primas obtinere volunt. Ipsi enim quendam, *Fohy* dictum, quem primum Imperatorem numerant eorum annales, primum etiam artis scriptoriæ inventorem celebrant. Cujus rei falsitatem rationes temporum indicant, si secula Imperii Sinici cum ætate universalis Cataclysmi conferantur. Etenim si calculum *Autoris mirandorum in Sina & Europa* pro vero sumamus, sequitur, ut collatâ Epochâ Sinensium cum nostra illius *Fohy* Imperium ad annos ante Christum natum 2847. extendatur. Quis autem est, qui non videat, fabulosam esse Sinensium jactatam antiquitatem? Aut enim diluvium non fuit universale, ut Sinenses soli ab aquarum eluvione manserint immunes, aut *Fohy* ille fuit ipse Noah, cui eo tempore nondum filii nati erant, quod utrumque absurdum. Alia quidem adhuc Epochæ Sinensis reperitur enumeratio, quâ *Alvarez Semedo in Historiâ Sinensi* Imperatorem *Fohy* ante Christum 2060 annis, qui in Abrahami annos incidunt, floruisse significat; sed eo tempore jam ratio scribendi satis erat

cognita, prout infra probatum dabo, ut firmiùs sententia muniatur, & constet, in dispersione gentium etiam ad Sinenses tandem cum aliis artibus nobilissimam artem scribendi permanasse, & sic Fohy illum non inventorem, sed propagatorem tantùm artis hujus apud Sinensium populos dicendum esse. *Vid. de antiquitate Sinensium Dissertatio Hornii de vera etate mundi contra Isaacum Vossium c. 12. & Arnoldi Spicilegium ad Ursini Exerc. fam. p. 14.* Miror verò opinionem, an ingenium dicam? Johannis VVeberii, Angli, qui *novo specimine Historico anno hujus seculi 69. Londini edito* Lingvam Sinensium primitivam esse tradidit, & quod hinc elicitur, Sinenses literarum notitiam usumq; habuisse ante ullum quemlibet populum. Sed quo fundamento id asserat, facile licet colligere, cum ipsius sententia penitiùs ponderatur, quæ sanè apud eruditos nullam meretur fidem.

§. VI.

Eandem cum Sinensibus fabulam ludunt Ægyptii, qui teste *Diodoro Siculo*, literas (& sic quoq; artem scriptoriam) astrorum cursus, Geometriam, artesq; plurimas à se fuisse inventas dixerunt, & Mercurio, Theuth ipsis dicto, assignarunt. Verùm enim verò non sufficit dixisse, cum probationes requiruntur. Etenim ab omni ævo suspecti admodum sunt Ægyptii mendaciorum in recensione rerum antiquissimarum, quod diu notavit *Gerh. Joh. Vossius*, & cuivis facile liquet, si audiat, DEos & semideos regnasse primùm apud eos, antequam ad homines imperium apud ipsos devolveretur. Equidem fidem aliquam facere posset enumeratio librorum Mercurii à *Philone Bibliensi & Jamblichò* facta: At enim primò eam destruit Mercuriorum multitudo, deinde, quòd, qui à Philone citati sunt libri, nusquam

quam citantur amplius ; nec Jamblichus standum sit, cum ipse sub initium *libri de mysteriis* disertè fateatur, apud Ægyptios morem obtinuisse, ut omnes libri omniaq; inventa Mercurio adscriberentur. Sed verò ea falsa esse omnia, quæ de Mercurio circumferuntur, probat celeberrimus Conringius *libr. de Hermet. Medic. c. 7.* Conf. Ursinus *tr. de Hermete Trismegisto.* Alia, quæ de hac materia ampliùs dici possent, quoniam ad institutum non pertinent, præmitto.

§. VII.

Græcos, qui tamen fere omnium rerum inventionem suæ genti adscribunt, & cum Ægyptiis etiam olim de antiquitate certarunt, mirum est, artis scriptoriæ inventum sibi non tribuisse. Ultrò enim ejus rei gloriam deferunt aliis, & potissimùm Phœnicibus, quem admodum, historiæ pater Herodotus in *Terpsichore V. 58.* memoriæ prodidit. *Οι Φοίνικες, inquit, οι συν Κάδμω ἀπικόμενοι, ἦν ἔσαν οἱ Γεφυραῖοι, ἀλλὰ ἔτε πολλὰ, οἰκήσαντες τὰς ἡν ἦν χάριν ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τὰς Ἑλληνας, καὶ δὴ καὶ γραμματῆα, καὶ ἐόντα πρὶν Ἑλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέει.* Quamquam alii aliter sentiant, dum non ad Cadmum, vel ejus socios, sed vel ad Palamedem, vel ad Linum, Herculis præceptorem, vel ad Cecropem, primum Atheniensium Regem, vel Orpheum, vel Prometheum referunt, ut *Alex. Sardus ad Polyd. Vergilium* observat. Sed quod Palamedem attinet, ille literas tantùm quasdam adjecit Alphabeto Græco, atq; adeò inventor minimè statui poterit. Linus autem fuit ex Phœniciâ oriundus, Cecrops ex Ægypto. Orpheus etiam vixit temporibus Hipparchi & Hippia, filiorum Pisistrati, ut *Vossius l. 1. de Origine Idolol. c. 39.* graviter confirmat, atq; hinc sequitur, eum longè post Cecropem & Cadmum esse collocandum. Quamvis alii cere-

monias & myſteria auctore Orpheo (ſed profecto poſt
Cadmum) in Græciam traducta putent. Vid. *Diodorus*.
Sicul. L. V. p. 333. Prometheus fuit Japheti filius, quemad-
modum *Hesiodus* narrat, ut hic iterum ex hiftoriâ mythica
colligamus poſt *diluvium* & in Græciam à Noachidis
artem ſcriptoriam translataſſe. At enim vero Dio-
dorus Siculus diſſentit ab Herodoto, & ante Cadmum
Græcos artem hanc noviffè affirmat. Verba hæc ſunt:
Ἄκτις δ' εἰς Ἀιγύπτου ἀπάραις ἐκλίσε τὴν Ἡλιόπολιν ὀνομαζομένην,
ἀπὸ τῆς πατρὸς θέμεν τὴν προσηγορίαν. Ὅι δὲ Ἀιγύπτιοι ἔμα-
θον παρ' αὐτῆς τὰ περὶ τὴν ἀστρολογίαν θεωρήματα. Ὑπερον δὲ παρὰ
τοῖς Ἕλλησι γενομένης καθ' αὐτοὺς, καὶ διὰ τὴν ἐπομβρίαν τῶν πλεί-
στων ἀνθρώπων ἀπολομένων, ὁμοίως τῆς αἰτίας καὶ διὰ τῶν γραμμα-
τῶν ὑπομνήματα συνέβη φθαρῆναι. Δι' αὐτῆς αἰτίας, πολλάκις ὕπερον
γενεαῖς Κάδμου ὁ Ἀγήνορος ἐκ τῆς Φοινίκης πρώτῳ ὑπελήφθη
κομίσειν γραμμάτων εἰς τὴν Ἑλλάδα ἔδοξαν αἰεὶ ἢ προσευξίσκειν περὶ
τῶν γραμμάτων, κοινῆς ἢ ἀγνοίας κατεχέσθης τῆς Ἑλλάδος.
libr. eodem V. p. 328. Nempe exiſtimat, Actinum Solis fi-
lium ad Ægyptios profectum, eos Aſtrologiam do-
cuiſſe, demum Græciâ diluvio oppreſſa, plurimos ho-
mines periiffè, literarumq; monumenta deleta fuiſſe:
& eam ob cauſam poſt multa ſecula creditum eſſe,
Cadmum Agenoris filium primùm literas in Græciam
adduxiſſe, atq; ideò Græcos quadam communi igno-
rantiâ ductos, literarum inventionem illi acceptam
retuliſſe. Conſentit *Tzetzes*, alioquin fabuloſus, ſed
hic non ſpernendus autor, qui duplici argumento i-
dem confirmat. Primum eſt, quòd oraculum reddi-
tum fuerit Cadmo: *Φράζεο δὴ τὸν μῦθον Ἀγήνορος ἐκγονε Κά-
δμου &c.* Alterum quòd Bellerophon antiquior Cadmo
ſcriptas tabellas de ſuâ cæde attulerit: referente *Scalige-
ro in Animadv. ad Euseb. p. 104.* qui tamen hoc in eo re-
prehendit atq; opponit primò vetuſtiſſimum totius

Græciæ

Græciæ consensum; deinde, quòd oraculum illud & Bellerophontis tabulæ oriantur à Poëtis; tum, quòd non reperiantur antiqviora monumenta; demum, quòd literæ hodiernæ dicantur Cadmeæ, quæ ita non possent dici, nisi ad Cadmum autorem essent referendæ. Et si Cadmus autor, aut saltem primus doctor & index earum in Græcia, quomodo ante Cadmum literas habuissent Græci. Verùm enim verò *Diodorus* Scaligero satisfacit, assertoq; suo Græciæ consensum negat. Deinde Poëtarum dicta non semper sunt fabulæ, quin sub involucris illis vera sæpe historia reconditur & latet: porrò non sequitur, antiqviora monumenta non reperiuntur, ergo Græci non noverunt artem scriptoriam ante Cadmum. Et quod ultimum est, literas hodiernas appellari Cadmeas, concedimus, & tribuimus etiam Cadmo, sed tamen eo ipso nihil efficit Scaliger, ut omnem ante Cadmum scribendi usum neget. Potuerunt omninò alias etiam habere literas, in quarum locum Cadmeæ dein successisse videantur.

§. VIII.

Alios, qui forsan artis nostræ inventionem prætendant, ne audiendos quidem judicamus, ut pote qui pro vero ducimus, prima scribendi initia apud gentem DEo electam fuisse, quod ingenuè & ultrò nobis largiuntur omnes, ut in definiendo primo scriptionis autore nondum convenire possunt.

§. IX.

Meritò hic attendimus ad singularem *Plinii* sententiam, qui *L. VII. c. 56.* Literas semper Assyrias fuisse arbitratus est; nec præterimus, quod docti notant, literas, quas hodie vocamus Ebræas, olim & Assyrias dictas fuisse, Samaritanas verò Ebræas, quod *Vasmuth*

Vind

Vind. p. 53. ex ipsis Judæorum testimoniis contra VValtonum latius deducit. Ita enim, ut ex omnibus unum feligamus, R. Gedalia in שלשה הקבלה f. 89. Lex data est eâ Scripturâ, quâ nos hodie scribimus librum legis, quæ vocatur אשורי sive Assyriaca. Hæc verò figura fuit custodita & servata apud magnates Jisraelis, sicut Lex oralis. Vulgus enim utebatur figurâ literarum Ebraarû Samaritanarum: sed cum venisset Esra, permisit ipsis, ut scriberent figurâ literarum, quibus data fuit lex. Vocarunt autem eam Assyriacam, quia Magnates Israelis eam secum adducebant ex Assyria; clam enim eam habuerant, eò quod esset scriptura sancta. Et autor libri En Jisrael c. 1. Totus mundus fatetur, tabulas, & librum legis, qui in arcâ fuit, scripturâ Assyriacâ fuisse consignata. Quod ipsum liceat velut fundamentum substruere iis, quæ deinceps adferentur.

§. X.

Unde jam scribendi initia scrutaturo primus occurrit *Ursinus*, qui in *Analectis S. vol. 1. l. 6. c. 1. & Exerc. fam. proœmio* asserit: primi omninò libri scriptorem fuisse Mosen, arte scribendi ab ipso æterno DEi verbo, ejusq; prototypo exemplari legis duarum tabularum accepta; itaq; & nullam antiquiorem scripturam neq; ex sacris, neq; ex profanis fide dignis monumentis ullis uspiam comparere. Atque hoc sanè pium studium pro concilianda Scripturæ S. autoritate & antiquitate laudandum maximè est, optarem verò ipsum argumenta in contrarium adducta æquo animo ponderasse, nec dubitarem, quin à vehementiâ se continuisset. Nos expensis rationibus, parum in hoc genere eum fatifecisse deprehendimus. *Affirmamus*, inquit, *ratione, inductione, testimonio*. At ratio, inductio & testimoniū solūm eò tendunt, ut evincat, Mosen esse antiquiorem

rem

rem & priorem omnibus illis à profanâ gente fictis literarum Inventoribus. Quod ante eum Tertullianus & Clemens Alexandrinus accurate diligenterq; probaverunt, scriptoresq; paganos antiquitate gloriatos in ruborem egerunt. Id quod omninò & nostrum facimus. Probare autem debuisset *Ursinus* nullum in gente Ebræa fuisse, qui artem scribendi ante Moſen noverit.

§. XI.

Augustinus contrarium probaturus *QQ. in. Ex. qv. 69. tom. IV. Opp.* introducit *γεγραμμένων εισαγωγῆς*, quos ex consilio ſoceri Jethronis Moſes unâ cum Chiliarchis, Centurionibus, decurionibus, conſtituiſſet. Verba ejus hæc ſunt: *Quidam Doctores interpretati ſunt, ut intelligantur utiq; literarum, qui introducant in literas, ſicut reſonat vocabulum Grecum. Hic ſanè ſignificatur, quòd ante legem datam habuerint Ebræi literas &c.* Non contemnenda quidem ratio, ſi textui Interpretum LXX. ſua conſtaret integritas, & concordia cum textu Ebræo, in quo nullum veſtigium horum *εισαγωγῶν* habetur. Augustinus lingvæ Ebrææ ignarus hæſit in LXX. Interpretum verſione, quæ in aliquibus exemplaribus, ut *MS Cto Alexandrino*, quod notavit *VValtonus in Bibl. Polygl.* has duas voces habet additas Et quòd additæ ſunt, exiſtimo inde factum eſſe, quòd *Deut. 1. 15.* ipſi LXX. ut vulgò habentur, *γεγραμμένων εισαγωγῆς* collocarunt poſt decuriones, eadē prope falſitate. Nam vox *שוטרים* nuſpian notat *γεγραμμένων εισαγωγῆς*, ſed cenſores & viſitatores, qui fuſtibus & flagris armati per plateas urbis circumibant, ut menſuras & pondera examina- rent, mores publicos obſervarent, & ſi quid pravum offendiſſent, magiſtratui denunciarent. Ut ita nihil

B

ali-

aliud sint, quàm judicum ministri & judiciorum solennium executores, atque ideo in scriptis Judæorum Germanicis בייטל Bittel i. e. lictores dicti, quod exequitur D. Carpzovius not. ad Schick. Jus regium p. 241.

§. XII.

Alia contra Urfinum firmior ratio est è dicto Jobi petita Cap. XIX. 23. *Utinam nunc scriberentur verba mea! Utinam in librum insculperentur; stylo ferreo cum plumbo in perpetuum in rupe inciderentur!* Verba satis clara sunt ad demonstrandum, iam tempore Jobi notam fuisse scribendi rationem. Urfinus hanc objectionem frustra esse existimat. I. c. sed ipse frustra est. Sanè confundit tempus, quo Hiob hæc dixit, cum tempore, quo tota Jobi historia in literas est relata. Jam disquiritur, quando Jobus hæc dixerit? Certum est, in statu miseræ, in quo adhuc ante nativitatem Mosis constitutus fuit. Urfinus ponit, Jobum 28. annis ante Mosis mortem è vita excessisse, qui terminus cadit in 92. annum ætatis Mosis; Hiob verò in statu felicitatis vixit 140. annis. Unde cuivis patet, planè falsum esse Urfinum, cum probari possit, statum felicitatis Jobæ, initium sumere ante natū Mosen 48. annis. Excipit Urfinus, Mosen, vel quicumque Scriptor fuerit libri Jobi, sermone *πρόβλητον*, quem Jobo tribuit, usum fuisse usitatissima prolepsi poëtica, illasque ethopœias Jobi & amicorum merum poëma & drama esse. Quod minimè concedendum. Neque enim ulla prolepsis statuenda est in S. literis, ubi res satis evidens est & ipsa necessitas non urget. Colloquia autè Jobi & amicorum, cum non videantur fortuito enata, esse merum poëma, ut illa sint consignata literis, non perinde ac instituta erant, sed ut institui potuissent, nemini persuadebit adeò Urfinus. Id potius illorum

rum virorum sapientiam & facundiam doceat, quàm
historiam de veritate deturbet, ut loquitur Schotanus.
Et præmeditari potuisse amicos, quis neget? Præterea
si vel maximè quædam sint dramatica, allata Jobi ver-
ba talia non esse, docet præcipuè arcta & immediata
connexio cum subsequen-
tibus, in quibus Jobus
Symbolum fidei suæ de resurrectione mortuorum ex-
hibet. Hæc itaque à Jobo nō esse ita dicta, ut scripta sunt,
non est extra periculum & id absurdum parit, ut de
sermonibus quibuscunqve in Sacra Scriptura, an ita sint
prolati, ut quidem consignati sunt, dubium oriatur.
Conf: Noldium Conc. Part: p. 287. & in Vind. p. 788. & 974.
Interim excusis hisce & elisis, ut argumento nostro
etiam contra quosvis firmiter niti meliusq; concludere
valeamus, parum abest, quin statuamus, Jobum Mo-
se esse antiquiorem. Nam primò post Mo-
sem Sacerdotium restrictum erat ad filios Aaronis, Jobus verò ipse
sacrificasse dicitur. Ad hæc שכינה non dedit se homi-
nibus extra tabernaculum, postquam à Mose extru-
ctum erat. Præterea ævi illa longitudo, quam transe-
git Job, sequentibus seculis vix evenisse cuiquam vide-
tur. Quartò, communiter Dei notitiam puram apud
amicos Jobi resedisse videmus, quod sanè vix admitti
potest, nisi de temporibus Exodum Hebræorum ante-
cedentibus. *Vid. Schotanus tom. 1. de Peregr. Israel. pag.*
237. ubi Judæorum de ætate Jobi discutit sententias.
Conf: Theologus summus D. Calovius Bibl: illustrat: Tom:
1. part. 1. præf. in Jobum, Torniellus ad annum mundi 2329. n.
22. & 2399. n. 1. Salianus Epit. ad an. Mundi. 2319. & 2328. Ar-
noldus in Spicil. p. 66. seqq. Caspar Schottus Tech. cur. p. 558.
& 577.

§. XIII.

Ex his jam satis superq; constat, ante Mosen rationem scribendi jam fuisse cognitam. Quamobrem ad antiquiora secula eundem nobis est & in autorem ulterius inqvirendum. Non tangam hoc loco, quæ Ælianus *L. XIII. Hist: Var. c. 3.* de sepulchro Beli refert, Xerxen in eo reperisse urnam vitream, adiacente columna exigua, in qua scriptum fuerit, eum, qui sepulchrum aperuisset, neque replevisset urnā, pessime habiturū. Belus autem est ipse Nimrod, Monarchiæ primæ conditor, quemadmodum ex antiquitate docuit summus Polyhistor, D. Schurz fleischius, *Diss. de Assyrio-Chaldaeorum primordiis, olim à me publicè defensâ. §. 18. seqq.* Sic & Semiramidis Beli uxor, narrante Herodoto *L. 1.* sepulchro suo quædam inscribi curavit. Cui & inscriptionem quandam in columna Nino posita, Xenophon *libro de Æquivocis* vindicavit. Sed nec repetam ea, quæ Caspar Schottus *Techn. Cur.* pro astruenda nostra sententia attulit, nec corrigam, quæ ibi malè ab eo dicuntur, cum facile ruant, quæ ab aliis jam sunt impugnata, funditusq; subversa. Id solum ago, ut in familiis Patriarchalibus artem scribendi viguisse conficiam. Ubi argumentum non exiguum suppeditaret ספר יצירה *liber creationis*, qui Abrahamo Patriarchæ à Judæis tribuitur, & in eorum manibus versatur, modò fides non esset dubia, cum supersticiosâ quorundam credulitate Adamo ipsi tribuatur. Sufficiet mihi ex Noachica structura arcae diluvii judicandum proponere omnibus, an illa sine scriptione notarum quarundam perfici potuerit. Equidem vix possibile fuisse, omnino sentio, ut sine notis numerorum tantæ molis arca fabricetur. Numeri autem nil aliud fuerunt nisi literæ, eò quòd omnes

mnes ferè gentes literas numerorum loco usurpent, & hodie adhuc literarum pro numeris usus apud Ebræos sit receptus. Qvis ergo dicat, non scripsisse Noam?

§. XIV.

Rem ipsam acu tetigisse sibi visi sunt, qui Patriarchis diluvio prioribus Alphabetum constituerunt Unde & Jac. Benav. Hepburnus, Scotus, Ordinis S. Francisci de Paula, in libro, quem *Auream virgam* inscripsit, Noacho quoddam tribuit, quod videre est apud *Bangium Cal. Or. p. 105.* sed nullo exceptus est assensu, cum hæ ab ipso propositæ literæ prodant fucum, atque adeò sint supposititiæ, & respondeant ferè Hetruscorum literis, quas partim *Bangius* ex æneis tabulis Eugubinis collegit, & Cælo suo orientali inseruit, partim etiam *Raphael Volterranius* ex quadam inscriptione *Comment. Urbanorum L. XXXIII.* & *Merula* in *Cosmographia* proposuit. Miratur insuper *Bangius*, quo anso *Hepburnus* hoc Alphabetum in suam tabulam trans tulerit, atque pro Noachico venditarit, quod tamen *Theseus Ambrosius* in *Appendice Introductionis Hetruscum* esse pronunciet, atque à dextra versus sinistram scribi ac legi dicat. Et quamvis hic ipse *Theseus* suspectam reddiderit fidem suam in aliis, tamen hac vice probanda videtur opinio, utpote duorum gravium Italorum testimonio, *Julii Canobini* & *Joh. Achillini* confirmata.

§. XV.

Neque verò solum literis, sed integris libris Noacho tribuitur artis scriptoriæ cognitio. Nimis largi sunt *Cabbalistsæ*, qui, ut id probent, lepidè tradunt, à Noacho scriptum librum quendam, & furto deinde in arcâ ipsi à *Chamo* ablatum fuisse. Similem in modum inter eruditos mentio est *Voluminis Æthiopici*, à Noacho conscripti. Nec minor gloria est *Noachici testamenti*

Et Epistola, quam Prosper Italus inter Hetruscas antiquitates simul nobis communicavit. Atverò & langvida horum scriptorum autoritas est, & meritò eam Anton. Possevinus *Bibl Select.* & Sixtus Senensis multùm diligenterq; impugnatam jamdiu rejecerunt.

§. XVI.

Ante Noachum vixit Enochus, quem itidem peculiari Alphabeto usum fuisse prodidit *Joh. Augustinus Pantheus Venetus Sacerdos*, in *Voarchdumiâ contra Alchimiam* cujus partes Claudius Duretus in *Historiâ de lingvis universi* defendendas sumsit, & quidem hoc pacto, reperiri in fastis Æthiopicæ Ecclesiæ librum ab Enocho his literis conscriptum, & Canonicorum numero habitum; sed nimis lubrica infirmaq; ejus sunt argumenta, quorum robur & vis vel eò ariete labefactatur, quod in vero & antiquo Canone non reperiatur, neque unquam à nostris inter Canonica scripta referatur. Et pugnat contra eos *Hepburnus*, qui planè diversos his characteres in *Aurea virga* proponit. Quinam ergo veri? *Bangius* *Hepburnæos* cum ipsis Ebræis facile conciliat, consensumq; *Vicelii Encom. L. Ebr.* suum facit, qui existimat, Hnochum, si quidem scripserit, illis scripsisse literis, quas postea ab Heber semi filio Hebræas appellare. Coeterum aliqui artis scriptoriæ originem in tempora Enochii rejicientes, adducunt illius Prophetiam ex *Ep. Judæ com. 14.* inter quos est Augustinus, qui expresse ait: *Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adamo, negare non possumus, cum hoc in Epistola Canonica Judas Apostolus dicat.* Sed unde confirmetur, nondum videre licet. *περὸς Φίλιππους λέγει, non γράφω* dicit Apostolus. Etenim ut prophetiæ in libros referrentur, non erat necesse, nisi quas ipse Deus volebat consignatas. Concludunt tamen alii, Enochum scripsisse,

fuisse, quoniam adhuc hodie inter Judæos ejus prophe-
 tia extet, ut autor est *Drusius tr. de Enocho*, quem sequi-
 tur *Bibliander Com. de communiratione ling.* Imò Cor-
 nelius à Lapide *Comm. in Ep. Juda* Prophetiam hanc
 antiquissimam esse & ante diluvium editam asseverare
 ausus est; Et *Boulduc L. I. de Ecclesia ante Mosen c. 74.* re-
 fert, & ex *Siracidis c. 44, 19.* colligit, Adamū scripta Enochi
 diligenter conservasse & reposuisse in arcâ tempore di-
 luvii non minore sollicitudine, quàm Patris Adami &
 aliorum quorundam Patriarcharum ossa, ut qui ejus,
 quem DEUS rapuerat, ossa quæ servarentur, habere
 non posset, scripta tanquam sacratissimum pignus ac
 depositum sibi & posteritati custodiret. Et producit
Scaliger Notis ad Euseb. p. 244. fragmentum quoddam ex
 Enochi libro Græcè ex Ebraico versum, unde Apосто-
 lum sua sumpsisse affirmat. Quo tamen jure id dicat
 Scaliger, judicabunt omnes, quotquot ipsum fragmen-
 tum legent. Neque enim Apostoli verba in eo occur-
 runt. Forsan sint ipsi argumentum quasi textus illius,
 repugnat autem itidem additum vocabulum λέγων
 apud Apostolum, quod si non fuisset additum, Scaliger
 aliquo modo haberet effugium, possetq; excusari. In-
 terim falsa & conficta sunt, quæcunque præter prophe-
 tiam in Sca S. traditam, sub nomine Enochi circum fe-
 runtur, quicquid in contrarium dicant aliqui, refutati
 pluribus à *Bangio in Cal. Orient. Dorschao Pentad. Diss. p.*
561. Cuneo de Republ. Ebr. L. III. c. 1. Valthero Offic.
Bibl. p. 1176. Joh. Euseb. Nierembergjo Jesuitu tr. de Orig.
Scriptura S.

§. XVII.

Zonaras & Cedrenus planè primum inter eos, qui
 scripserint, eum faciunt. οὐδὲ, inquit Cedrenus, πρῶτον.

γενεαλογίαι, μανθάνει καὶ διδάσκει, καὶ θείων μυστηρίων ἀποκαλύ-
ψεως ἀξίως, ex antiquâ & fabulosâ traditione, quam
sequuntur isti Græculi, & fidem sæpe amittunt. Optimè
Sal. Gesnerus. *Comm. in Gen. V. qv. 6.* eum quidem non
primum facit, probabiliorem tamen sententiam eorū
esse judicat, qui tempore Enochii fuisse literarum usum
dicant, eò quod nec annorum series adeò exquisitè ad
tot secula observari, neque Enochii verba retineri abs-
que literarum adminiculo potuisse sentiant.

§. XVIII.

Quod ipsum probaturi firmiùs, alii libros quos-
dam à Setho, Adami filio scriptos proferunt, ut autor est
Epiphanius her. 39. & *Schottus Tech. cur. p. 555.* qui tamen
eos supposititios & spurios rectè judicant. Alii præsi-
dium quæerunt in narratione Josephi *L. 1. Antiq. c. 3.* fi-
lios Sethi ante diluvium rerum cœlestium scientias
duabus columnis, alteri lateritiæ, alteri lapi-
deæ inscripsisse, ut si constructa lateribus extermi-
naretur ab imbribus diluvii, lapidea permanens præbe-
ret hominibus scripta cognoscere. Quam Josephi nar-
rationem nec Schottus improbat *l. c.* & Bangius *Cal.
Orient.* sed sub hypothese tamen. Alii Alphabetis suis
antediluvianis id obtinere tentant, ut est *Autor Inscripti-
onum in columnis parastaticis Bibliotheca Vaticana,* *Schra-
derus in Monumentis Italia.* At Alphabeti illa rejecta
& repudiata satis sunt à Bangio *l. c. p. 103.* ut actum jam
non agamus. Josephi fidem in dubium vocat Ursinus
Exerc. fam. p. 211. & Arnoldus *in Spicil. p. 65.* Bochartus *in
Phaleg. l. 1. c. 14.*

§. XIX.

Nos cum omnibus monumentis fide dignis de-
stituiamur, rem omnem rationibus & argumentis ex-
pedie-

pediemus. Primò enim imbecillitas humanæ memo-
riæ requirit quoddam remedium atque eam juvandi
subsidiū. Postquam enim primi hominum parentes
in deplorandam illam devoluti essent peccati mise-
riam, intercudit per itaque in ipsis omnis ingenii & divi-
narum virium vigor, nataque omnium scientiarum &
sapientiæ oblivio. Quamobrem crebris actionibus
enitendum illis in posterum erat, ut quicquid à DEo re-
lictum habebant ingenii, non perderent penitus, sed
acuerent & excitarent. Id proles eorum secuta varias
deinde invenit & excoluit artes & scientias, quas tene-
re omnes potuisse memoriā ita firmiter, ut nihil po-
tuisset excidere, quis ausit dicere? Unde necessario se-
quitur, illos non caruisse quoddam memoriæ adjumen-
to. Sed quodnam illud sit præter scribendi scientiam?
Equidem Poësis etiam ad memoriam rei conservan-
dam idoneum instrumentum est, uti judicat *Possevinus*
L. XVII. c. 7. Bibl. sel. verum nunc pensitemus, annon
Poëta in ipso quoque carmine conficiendo indigeat
signis memoriæ intervientibus. Equidem *Ursinus l. c.*
pro sententiæ suæ propugnatione *contra Bangium*, qui
nobiscum sentit, nimis insurgit, literas, & quod conse-
quens est, artem scribendi non afferre opem memo-
riæ, sed pestē, audacter dicens, concedens tamen, nunc
non posse artium scientiarumque cupidos carere literis,
eam verò conditionem primorum sapientum non
fuisse, cum artes & scientiæ paucis præceptis conceptæ
fuisent apud ipsos, & quisque reperta sua vivā voce
commendasset posteris, tradidissetque præcepta carmi-
nibus inclusa, ut memoriæ facilius inhærerent. Verum
enim verò optarem, ut iste ipse autor, cum adhuc in vi-
vis esset, explorasset ingenium suum, an horum, quæ

C

contra

contra nos dicit, conceptionem atq; imaginem efformare atq; exhibere memoriae semper potuisset, ut nunquam excidisset? Aut tentet quis nostrum, an cogitationes de re quadam ardua vel semihorulae spatio conceptas alio tempore absque hoc memoriae subsidio repraesentare ad unum, & ita commodè atque sine molestia possit. Sanè in spem venio, fore, ut omnes hanc meam amplectantur sententiam. Quòd verò Ursinus artem nostram vocat memoriae pestem, facile meretur veniam, eò quòd fovendae suae hypothesei conquisiverit omnia, quae reperire potuit, quaeq; ipsi commoda visa fuerunt. Interim ei opponimus Illustrissimum *Gustavum Selenum*, qui *prae. ad Cryptographiam* objectionem hanc discussit, quò etiam Ursini defensores remittimus.

§. XX.

Alterum argumentum faciet mutua hominum consuetudo & commercium. Cùm enim, *inquit Wasmuth*, non solum animal loquens conditus sit homo, sed etiam animal politicum & civile, ad conversandum & communicandum cum aliis res & actiones suas natum, quis putet hoc fieri potuisse sine adiumento literarum & scripturae, quae fugacibus aliàs vocibus quasi vincula quaedam injiciuntur, per quae & oculis & manibus teneri possint, miraculò certè maximo. *Vid. Vindiciae p. 85.* Explicet quis rationem, quae factum, ut Patriarchae aperire sensa mentis etiam in loca disita (neque enim omnes uno fuere loco) sibi invicem potuerint? An per nuncios, quibus viva voce tradidissent? Quid si aliquando non rectè nunciassent, quòd fieri potuisse, nemo negabit? An vero ipsi semper inter sese collocuti sunt, praesentesq; sibi fuerunt, quoties de rebus

rebus aliqua habenda fuit consultatio? Nimis absurdum foret, talia sensisse.

§. XXI.

Unde jam adducimus tertium argumentum, quod est artis scriptoriae ad Arithmeticam & Musicam utilitas & evidens necessitas. Qui dixerit, Patres ante diluvium viventes non calluisse Arithmeticam, utpote totius Matheseos fundamentum, is dicat etiam, eos non contemplatos esse caelum, hospitesque fuisse in terra. At qui noverant siderum cursus, aliasque artes & scientias, ut patet ex *Gen. 4.* quibus maxime inservit Arithmetica, cujus opera & usus sine arte scriptoria nunquam potuit consistere. Maximum hic argumentum ponit Musica, quam excoluisse Jubal inque ea excelluisse dicitur *Gen. IV.* Si excoluit, utique rationem componendi melodias posteros docuit. Veniant jam Musici, & exponant, id sine artis scriptoriae subsidio fieri non potuisse. Quae de structura arcae Noachicae, utpote quae sine scriptione literarum & numerorum fabricari non potuit, superius dixi, ea nemo repetet, nisi qui ingenio difficili sit, ut adhuc dum Patribus antediluvianis deneget artis scriptoriae cognitionem.

§. XXII.

Atque haec cum ita se habeant, ad ipsum quoque Adamum porrigimus scribendi notitiam. Neque enim fieri potuit, ut is, qui tot familiarum conditor & pater, quae artem nostram callebant, solus fuerit illius ignarus. Quin potius docuisse eum filios & nepotes suos nobilissimam hanc & utilissimam artem, vero est similimum. Adduco hanc in rem *Cl. Bangii* sententiam. Is loco saepius citato *p. 9.* his verbis causam hanc tractat prolixius: *Primum humani generis progenie*

Ca *tozem*

toſem formandorum characterum prorsus rudem extitisse,
aut nihil planè ad rem literariam felici auspicio inchoan-
dam & propagandam adjumenti contulisse, vix dum dixeris.
Nam, ut ab ultimo primùm ordiamur, quis est, qui longam
transacta vita usuram, quam Deus benignè Adamo indul-
sit, multijugem diutina experientia usum intuitus affirma-
re ausit, Adamum novem secula emensum fuisse, ac non-
gentis triginta annis vixisse tanquam otiosum rerum spe-
ctatorem: quippe qui quondam universa in terris familia
pater fuit, Rex & Sacerdos, teste Luthero in Genesin p. 48.
nec non Oeconomia, Politia, primæva sapientia, divina pa-
riter & humane primus auctor, summus moderator & my-
sta. Quin potius piè sentiendum est, quod Adamus animadvertens
se admissò peccato amisisse incomparabiles animi, inge-
nii, memoria, sagacitatis & sapientia dotes, atque in te-
nebricosum ignorantia, ruditatis ac oblivionis ergastulum
fuisse conjectum, relictis sibi tantùm parietinis quibusdam
naturalis cognitionis, in id magno molimine incubuerit,
quomodo residuas physici luminis scintillas jugi mentis agi-
tatione, laboriosâ sensuum ope & scrutinio exsuscitaret:
imò necessitate monstrante viam, primam artibus & doctri-
nis facem præloceret, prima characterum rudimenta judan-
da memoria causa præformaret.

§. XXIII.

Nec solus nobiscum sentit Bangius sed infiniti alii,
Svidas, Joh. Tzetzes, Opmerius, Boulduccius, Postellus, Me-
nochius, Pineda, Ludovicus S. Francisci, Athanasius Kir-
cherus, Ludovicus Vives, Hermannus Hugo, Theodorus Bibli-
ander, Alstedius, atque imprimis è nostratibus D. Valthere-
rus & Venerandus Senior noster Dn. Andreas Sennertus &
referente Kircherò, universa Ebræorum schola Syro-
rum & Arabum. Quamquam non omnes iisdem utan-
tur argumentis, alii conjecturis tolerandis, alii fabulis,
alii

alii monumentis, sed unde hæc fidem suam accipiant,
non adducentes. Sic à *Gnosticis* olim expositæ fuerunt
Revelationes Adami, *Evangelium Eva*, & hodiernum in
Bibliothecâ Vaticanâ reperitur *pictura Adami*, supra
cujus caput literæ Ebraicæ antiqvæ leguntur, & ad pe-
des ejus inscriptio Latina: *Adam divinitus edoctus, primus
scientiarum & literarum inventor.*

§ XXIV.

Sed quibus Adam usus fuerit literis, non constat
inter omnes. Sunt qui peculiaris Alphabetum Adami pro-
ducunt, *Hepburnus in Aurea virga*, *Schraderus in monu-
mentis Italia*, *Angelus Roccha à Camerino in Commentar.
Biblioth. Vatic. Duretus in Hist. de lingvis*, *Theseus Ambro-
sius Append. Introd.* quæ omnia videre licet ap. *Ban-
gium l. c.* sed discussa. Sunt alii, qui characterem Sa-
maritanum tuentur, ut *Waltonus* & *asseclæ ejus*, sed
ex falsâ hypothesi. Alii scripturam hieroglyphicam
solam Adamo in usu fuisse probant, inter quos est lau-
datus *Academia Senior venerandus Dn. Sennertus Exerc. 1.
Philol. Hept. 1. & Joh. Eusebius Nierembergius L. 1. de origine
Scriptura Sacræ c. 8.* Alii denique hodiernos Ebræos cha-
racteres Adamo vendicant, imprimis *Celeberrimus Vaf-
muth part. 1. Vind. p. 86.* Et sanè hoc admodum proba-
bile faciunt rationibus suis, quòd nimirum lingua
Ebræa sit prima & antiqvissima, atque nullum alium
characterem habuerit agnoveritque sibi proprium;
præterea nomina literarum in aliis lingvis non sint si-
gnificativa suæ vel figuræ, vel soni, aut potestatis, nisi
in quantum ad Ebræam reducantur. Et tandem cum
potissimalis ipsis sit cum defensoribus characteris Sa-
maritani, addunt, & subministrant contra hos ar-
gumentum illud, quod characteris Ebræi ductus &
forma longè simplicior sit & perfectior, quàm Sama-
rita-

ritani, qui ex eo est deductus. Quamobrem & huic primas deferri non posse existimant, ducti principio illo Philosophico, quo simplex prius composito esse dicitur.

§. XXV.

In tanto igitur dissensu, ut certi aliquid statuam, primo vestigia Præceptorum meorum & ex his ipsis Ebraeon quadratis literis post confusionem lingvarum Babelicam sumfisse gentes modum effingendi similes existimo. Cum enim artes & scientiæ ante cataclysmum notæ à Noacho & filiis suis conservatæ & propagatæ fuerint, non dubium erit, quin & scribendi scientia ad omnes gentes ex ipsorum instituto pervenerit.

§. XXVI.

Unde nunc præcipuarum gentium literas aspiciemus & primò Chaldæorum, qui Ebraeis erant vicini. Quamquam hic accusanda sit temporum injuria, quæ integrum earum schema adhuc dum nobis invidet, etiam si libri antiquissimis characteribus exarati apud Babylonios extare dicantur, & spes eorum Babylone mittendorum facta fuerit *Hottingero*, ut ipse narrat in *Smeg. Orient. L. III. part. 1.* Attamen monumentum quoddam in monte Horeb. repertum & his literis, quamquam intricatis, conscriptum, resolutum autem in veras aperuit nobis *Atb. Kircherus in Prodromo Copto p. 207.* cuius schema etiam repræsentavit Vir πολύγλωττος *D. Pfeifferus Dub. vex. V. T. p. 509.* Alii tamen, inter quos est *Salmasius*, referente *Hottingero, l. c.* Samaritanorum literas Chaldæis usitatas fuisse asserunt, alii Æthiopicas. *Hottingerus τὸ ἐπέχειν* nihil definire audeat.

§. XXVII.

Ut horum Chaldaicorum antiquiorum, ita & Syriacorum characterum autor incertus est. Arabes

iti-

Itidem ignorant autorem veteris scripturæ, *Kufica* ipsis dictæ, quam etiam plerique eorum hodie non callent, de qua *Hottingerus Thes. Philol. p. 403.* recentiorem verò, quâ jam utuntur, inventam esse produnt ab *ibens Mokli*, ut tradit *Elmakinus in Hist. Sarac. p. 205.* cuius septem genera videre licet hinc inde in *Instit. Gram. præprimis Th. Erpenii p. 6.*

§. XXVIII.

Phœnices, qui iidem cum Chananæis, ut probat *Bochartus in Phaleg. L. IV. c. 34.* literas, quas hodie Samaritanas vocamus, sibi vendicant; iterum confirmante *Bocharto in Canaan L. 1. cap. 20.* Et cum ipse Chanaan, Chami filius, Phœnicum sive Cananæorum pater sit, non iniquè me facturum esse arbitror, si harum literarum inventionem ipsi assignavero. Non enim est, quod dubitemus, Canaanem literas à Noacho & patre Chamo didicisse, attamen vero DEI cultu in impietatem verso, verisimile est, eum mutasse literas, atque adeò etiam hoc instituto à verâ Ecclesiâ secessisse. Quamobrem inde enatæ sunt literæ illæ Phœnicicæ. Successu temporis, cum Patriarchæ peregrinationes suas in terram Canaan susciperent, acceperunt cum ipsâ Phœnicum lingua, quâdam Ebraicæ dialecto, characteres, quos deinde applicatos ad vernaculam transtulerunt in ingentem suam, ut communis esset populo Judaico, nomenque fortiretur Scripturæ profanæ, atque à sanctâ distingveretur. *Conf. D. Wasmuth Vind. part. 1. sect. 1. §. D. Carpz. not. ad Schick. f. R. p. 105.*

XXIX.

Postea cum sedibus suis Phœnices à gente Israelitica ejicerentur varias condidere in regionibus aliis colonias, quemadmodum accuratè demonstravit *Bochartus in Canaan* atque sic plurimas scientias à se excultas ad alios

lios simul transtulerunt. Unde & Græci fatentur, à Cadmo Phœnice, quem Cadmonitarum (de quibus *Genes. 15, 19.*) ducem fuisse auguror, se accepisse literas. Intelligimus autem hodiernas, alias enim ante Cadmum habuisse, jam supra dictum est ex Diodoro. Testimonia pro Cadmo plurima videantur tum apud *Scaligerum in Animadv. ad Euseb. p. 104.* tum apud *Bochartum in Canaan L. 1. c. 20.* qui gravissimi autores collationem literarum Phœnicæarum & Græcarum instituerunt, ut certò constet, literas Græcas ex Phœnicæis esse efformatas; quicquid etiam contra Scaligerum dicat *Salmasius ap. Schotanium Biblioth. tom. 2. p. 1053.* Intulisse autem Cadmum sedecim literas in Græciam testes sunt *Plinius L. VII. cap. 56. Plutarchus Sympos. L. IX. probl. 2. Eusebius in Chron. Ireneus adversus Marcum hæreticum & alii plurimi.* Quænam tamen illæ fuerint, non consentiunt omnes. *Vid. Waltonus l. c. Vossius l. 1. de art. Gramm. c. 16. p. 70. Victorinus de arte Gramm. pag. 69. Scaliger in Animadv. ad Euseb. pag. 112. seqq. Schotanus l. c. conf. Bochartus l. c. Polydor. Vergilius L. I. cap. 6. Johan. Rudolfus Wetstenius or. 3. de Lingvæ Græcæ pronuntiatione. p. 50. seqq.* Plura hanc in rem proferre, esset Iliada post Homerum scribere, eò quod citati autores ea omnia, quæ ad antiquitatem literarum Græcarum pertinent, fusius sint executi. Unicum tantum noto, quod *Cassiodorus L. VII. Varior. c. 12.* narrat, opinatos quosdam esse, Mercurium è volatu gruum, qui classem confociaturi semper Alphabeti formas describant, literas Græcorum collegisse. Quod tamen magis risum, quàm confutationem meretur.

§. XXX.

Ægyptios veteres tria characterum genera habuisse ex *Clemente Alexandrino* colligit *Kircherus Prodr. Copt.*

Copt. c. 9. p. 220. Verba Clementis L. V. Strom. hæc sunt:
Αὐτὰ οἱ παρ' Αἰγυπτίων παιδευόμενοι πρῶτον μὲρ' πάντων
τῶν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσιν, τῶν ὀπι-
σολογραφικῶν καλεσμένων. Δεύτερον δὲ τὴν ἱερατικῶν, ἢ
χρῶνται οἱ ἱερογραμματεῖς. Τρίτην δὲ καὶ τελευτᾶσαν τῶν ἱε-
ρογλυφικῶν ἢς ἡ μὲν ὄσι Δαδίων πρώτων στοιχείων κυριολογική.
Ἡ δὲ συμβολική. Τῆς δὲ συμβολικῆς, ἡ μὲν κυριολογεῖται κτ' μί-
μησιν. Ἡ δ' ὡσπερ τροπικῶς γράφεται. Ἡ δὲ ἀντικεῖς ἀλλη-
γορεῖται κατὰ τινὰς αἰνίγματα. Ἡλιον γὰρ ἐν γράψαι βελο-
μενοι κύκλον ποιεῖσι, σελήνην δὲ χῆμα μηνουίδες. E quibus tamen
adhuc remanet dubium, an Kircherus rectè perceperit
Clementis sententiam, quæ mihi ad Ægyptios Cle-
mentis ævo videtur referenda, de quorum informati-
one eò locò differuerat. Etenim ab ultimâ antiqvita-
te literas hieroglyphicas tantùm in usu fuisse ap. Ægyp-
tios, quæ ex animalium & aliarum rerum figuris con-
stabant, testantur autores. Vid. Diodorus Siculus L. III.
& IV. Et Ammianus Marcellinus disertè l. 17. c. 7. in-
quit: *Non, ut nunc, literarum numerus præstitutus & fas-
cillus exprimit, quicquid humana mens concipere potest, ita
prisca quoque scriptitarunt Ægyptii: sed singula litera singulis
nominibus serviebant, & verbis nonnunquam significabant
integros sensus.* Quod ipsum Tacitus etiam l. II. Annal.
testatur. *Primi, inquit, per figuras animalium Ægyptii
mentis sensus effingebant: ea antiquissima monumenta me-
morie humane saxis insculpta erant.* Conf. Mercerus in
notis ad Horapollinem, & Cluverius Germ. antiq., LI. c. 24.
Quamobrem Joh. Pierius Hieroglyph. c. 47. de his Ægyp-
tiorum literis ita sensit: *Cujusmodi essent, inquit, lite-
rarum characteres ap. Ægyptios, si quæsierit quispiam,
putarim ego partim instrumentorum aliquot plurimum verò a-
nimalium effigies fuisse.* Unde Kircherus causâ cadit,
dum literas hodiernas cum illis antiqvioribus confun-
dit, quæ omnium consensu ex Græco characterē suam

D

du-

ducunt originem, utpote in Ægyptum per Græcorum colonias introductæ. Nec juvat eum tabula Bembi-
na, quæ quatuor literas hodiernis similes in se conti-
net, cum hæ testentur potius, tabulam illam post A-
lexandri M. tempora esse pictam & efformatam. *An-
geli Roccha* Alphabetum Ægyptiacum omnes eruditi
supposititium existimant, ut videre est ap. *Bangium*
Cal. Orient. p. 111. seqq.

§. XXXI.

Latini literas habent à Græcis. Ita enim *Plinius*
& *Solinus* Pelasgis, antiquissimis Græciæ populis, qui
150. annis post Cadmum in Italiam colonias duxerunt,
ejus rei gloriam tribuunt; *Dionysius Halicarnassensis*
Arcadibus, qui 60. annis post Pelasgos venerunt, *Livi-
us* & *Tacitus* Evandro; alii, *narrante Polyd. Vergilio*,
Nicostratæ Evandri matri. Quæ tamen diversitas in
definiendo primo autore universali consensui non ob-
stat. Quales verò fuerint literæ, aperit *Tacitus Annal.*
l. II. & *Plinius L. VII. c. 58.* dum antiquioribus Græcis
eas similes fuisse existimant. *Conf. Vossius L. I. de art.*
Gramm. c. 24. seqq. *Scaliger de causis LL. & Becmannus*
de Originibus L. Lat. c. 4. De Hetruscorum literis egit
Th. Reinesius in Historumenis lingua Punica, & ex parte
Bangius in Cal. Orient. p. 129.

§. XXXII.

Germanis antiquioribus etiam scribendi ratio-
nem non fuisse incognitam, arguit singularis eorum
sapientia & eruditio, de qua *Cluverius Germ. Antiq. L. 1.*
c. 19. 24. 31. 32. 33. seqq. ut ut illorum literas ignoremus,
quòdeas planè secretas sibi esse voluerint. Sequiori-
bus seculis assumsere Græcas, ut *Julius Cæsar L. V. Com.*
& *Strabo L. IV. Geogr.* autores sunt. Ævo *Caroli M. La-
tinas* in Germaniam venisse & tandem in hodiernam
formam

formam mutatas esse, judicat Harsdorfferus *Spec. Phil. Germ. disq. 6.* ubi plura de Germanorum antiquiorum literis differit.

§. XXXIII.

De reliquarum gentium literis ex instituto agere nunc non licet, cum alii id satis expediverint, inter quos est *Guilielmus Postellus*, qui de characteribus omnium linguarum *libro de 12. lingvis* differuit. De Sinensium literatura vid. *Athanasius Kircherus* & hujus elogio ante omnes celebratus. *Dn. Job. Mullerus*, qui ex professo Linguam Sinicam, & hujus nulli haecenus cognitam clavem & omnes antiquitates summa cum gloria tenet & tradit. *Conf. Funccius Brev. Hist. polit. tomo 1. cap. 8.* Sic de Mexicanis quaedam dixit *VValtonus l. c.* alii de aliis.

§. XXXIV.

Nunc ad ipsam literarum scriptionem me convertito, cujus duplex ratio, nimirum, sculpendi & pingendi apud omnes ferè gentes, nationesque obtinuit. Et quidem sculpturam ad condenda monumenta potissimum fuisse adhibitam, docet *Jobus XIX.* dum exoptat, ut verba sua in annales referantur & stylo ferreo cum plumbo in perpetuum duratura in rupe incidantur. מי יתן אפר ויכתבון עלי מי יתן בספר ויחקו: בעט בזר ועפרת לער בצור יחצבון: Non dubium est, quin hic per ספר intelligantur annales, quemadmodum propria & nativa, ac ut in scholis loquimur, hujus vocis significatio indicat; atque adeo ex ipsa vocū connexionem intelligitur, annales olim faxis vel lapidibus vel rei cuivis duriori insculpi consuevisse. Sic & aliquando, ut caelatura eò clarior fieret, plumbum in caeluras literarum fufum esse docet ex hoc *Jobi loco R. Sal. Jarchi.* Et particulam *Vau* non expo-

D2

nen-

nendam esse per Et, sed per Cum probat *D. Noldius Conc. Part. Ebr. p. 273. & Vind. p. 973.* & consentit *Bochartus in Hieroz. L. 2. c. 44.* Aliàs etiam plumbeis laminis incisas fuisse literas confirmatur autoritate *Plinii L. XIII. cap. 11.* itemqve tabulis æreis *1. Macc. VIII. 22. XIV. 18. 26.* Ligneis, quæ & schedæ dicebantur, *Gvilandinus de Papyro p. 95.* arborum etiam foliis, palmarum, *Pancirollus L. 2. Mem. tit. 13.* & *Scaliger contra Gvilandinum*, malvarum, *Cinnus ap. Isidor. l. 6. Orig. lauri*, *Antonius de Guevarra in G. S. ex Strabone*, oleæ, quod monstrat *Syracusano- rum πεγαλισμὸς ap. Diodorum Siculum L. XI.*

§. XXXV.

Sed nec infreqvens apud autores clasficos mentio est cerarum, pugillarium, codicillorum, quibus tamen unam eandemqve rem denotari, observat Scriptor in hujus doctrinæ argumento versatissimus *Gvilandinus p. 97.* *Schedæ*, inquit, quæ ad eum modum preparata erant (nimirum cera obductæ) dicebantur *cera*, & quod pungendo scriberentur, *pugillares*, quemadmodum, quod ex codice arborum constarent, *codicilli*. Quamquam *Gvilandinus* existimat, omnes schedas olim cerâ inductâ factas esse, quod tamen refellit *Matthæi Evangelium* schedis non ceratis inscriptum, & à *Baronio in Martyrol. Rom.* productum, siquidem ei fides habeatur. Cœterum & ceris ejusmodi præparandis adhibitum fuisse ebur, *Hermannus Hugo* rei antiquariæ peritus autor tradit *c. 10. p. 94.* & membranas, ut *Martialis L. XIV. Epigr. 7.* indicat. Imò *CrySTALLINOS* & *ONYCHINOS* pugillares inventos esse, ex *Marcello* notat scitus elegansqve *Italus Laur. Pignorius de servis p. 113.* Quoad formam deniqve tabellæ ejusmodi ceratæ erant quadratæ vel trigonæ, & à numero paginarum vocabantur triplices, quintuplices, quales *Martialis l. 2. Epigr. 4. & 6.* laudat.

§. XXXVI.

Quare ut his ipsis materiis literæ possent imprimi, stylus in usu erat & potissimum ferreus, cum faxis, marmori, metallis literæ insculperentur, qualem & deinde tabellis ceratis adhibebant Veteres antequam osseo uterentur. *Mos etenim erat, inquit Gvilandinus, p. 96. ferro non calamo in ceris scribere, quod Græcos & Tuscos primum fecitasse, testatur Isidorus L. 6. c. 9. postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet, institutumque ceram osibus scribere. Styli figuram Pignorius de servis p. 117. seqq. ex veterum monumentis exhibet. Conf. Salmuth. notis ad Pancirol. L. II. tit. 13.*

§. XXXVII.

Pingendis autem literis adhibitæ sunt primò arundines sive calami non solum ii, qui juxta Memphium Hilum vel Gnidum crescebant, ut ex antiquioribus scriptis ostendit *Hermannus Hugo & Gerhardus Joh. Vossius locis citatis*, sed & qui in Asiâ circa Anaiticum lacum nascebantur, asserente *Plinio L. XVI. 36.* in quorum locum dein surrogatæ sunt avium pennæ, calami ex eo adhuc nobis dictæ. Sed & penicillo scribi literas à pictoribus nostris, quivis etiam ex vulgo novit, & Sinensibus aliud scribendi instrumentum non esse, testes sunt *Ath. Kircherus in Sina Illustr. art. V. c. 3. Martinus Martinius Hist. Sin. L. VIII. Nicol. Trigault; Exped. Sinica. L. I. c. 4.*

§. XXXVIII.

Materia, in qua literæ pingebantur, fuit varia. Vel enim fuit exterior arborum tunica, quæ & corium dicebatur *Plin. L. XV. 18. Cato de re rust. c. XVII. Gvilandinus p. 104.* Vel tenuiores arborum & fruticum philyræ s. libri, quivars corticis sunt, ligno adhærens, apud *Gvilandinum p. 103. Salmuth ad Pancirol. L. II. tit.*

tit. 13. vel linteamina, Livius dec. 1. L. 4. Plin. l. XIII. n. Gvilandinus p. 94. vel membranæ & pelles animalium Varro, Plinius ap. Gvilandinum p. 174. eorumque intestina aliquando, Isidor. Orig. L. VII. n. Salmuth. l. c. vel ebur, Martial L. XIV. Epigr. 5. Ulpianus ap. Salmuth. l. c.

§. XXXIX.

Ad fruticum philyras reducimus chartas, utpote quæ, *narrante Plinio loc. cit.* erant prætenues, & quàm latisimæ philuræ expapyro præparatæ. Papyrus autem erat juncus nascens in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includens, ut Plinius describit l. c. qui & in Syria & Babylone nasci papyrus indicat. Conf. Gvilandinus & Henr. Salmuth, qui ea, quæ prolixius hic dici possent, sunt executi. Unde charta fuerit dicta, legi poterit Vosius de art. Gram. L. I. c. 37. Panciroll. l. c. Polydor. Verg. L. II. c. 6. Isidor. Orig. L. VI. 9. Chartarum genera exposita habemus ap. Plinium L. XIII. c. 12. & Commentatorem Gvilandinum p. 282310.

§. XL.

Modus scribendi succedit, qui quintuplex: Primus est, quo ducuntur lineæ à dextrâ versus sinistram, receptus inter Ebræos & plerosque Orientales populos. Secundus, à sinistra versus dextram, communis ferè omnibus Europæis, & inter Orientales Armenianis, Georgianis, Ægyptiis & Æthiopibus. Tertius à summo ad imum, Sinensium genti proprius, Græcis Tapoccon dictus. Quartus ab imo ad summum, quomodo Mexicanos scribere prodit ex Acoftæ L. VI. *Joh. de Laet. notis ad dissert. Hugonis Grotii de Orig. Gent. Amer.*

p. 66.

p. 66. Quintus est à sinistra versus dextram & à dextra iterum versus sinistram, usque dum scribendo impleta pagina est, Græcis βεσσηφιδου dictus, cuius tres species recensentur, quas quia non ita commodè explicare verbis licet, oculis hic subicere placuit. Prima, quâ Solonis leges scriptas fuisse testatur Didymus ap. Vosium l. c. c. 34. hæc est:

αλλοπαλαμσο νοπορτυλοπ ασχμ επεννε ιομ αρνδα
 Πλαχθη επει τροιης ιερων πτολιεθρον επερσε
 ωνγε νοον ιακ αεσα νεδι νωπαρθνα δ' νωλλοπι
 Πολλα δ' ογ' εν ποντω παθεν αλγεα ον κτ' θυμον.

Alterā:

Ανδρα μοι εννεπε μισα πολυτροπον ος μαλα πολλα γαλα
 α εοδαεα ιβθρεινο/α ιβθει σκιθαι κτλ κ
 ο γ λ ε ν δ' ανθρωπων, ιδεν αεσα κηλ νοον εγνω. π ο γ λ ε α
 ποτιησ αο ηρακ κελγα ιαβικε πελαε ιε λο ρ


Tertia:

Μηνιν αιειδε θεα πληλιαδεω Αχιλησ
 εκηε ελγα σιοαχν ιουσι κ κηηηιοε
 Πολλας δ' ιφθιμεσ ψυχας αι δι παρδιαψεν
 κωεοτικ εχουε κελσα ρ σβ/αο ιωβδη


Vid. V Waltonus Prol. 2. Edmundus Dickinson Delph. Phoen. c. 10. Bochartus in Chanaan p. 494.

§. XLI.

Plura in præfenti notare, quæ ad hanc materiam spectant, & rerum gestarum initia originesque exponere, temporis angustia prohibet. Unde ad citatos scriptores delecto lectorem antiquitatis cupidum, & in extremo hujus disquisitionis jure meritoque commendo simul *Illustris simi Gustavi Seleni Cryptographiam* & *Gasparis Schotti Tachygraphiam*, monumenta sane digna lectu, & quæ sciendi desiderium explere mihi videantur.








X2615929

WNT







17
Q. D. B. V.
1653 5
6

HISTORIAM
Artis Scriptoriae,
PRO LOCO

In
Amplissimo Philosophorum
Ordine

benevolè sibi assignato,

PRÆSES

P. 533.

M. FLORIANVS Repperbein/

Glogaviâ Silesius,
publicè defendet

Ad d. 15. Martii A. clb lbc LXXXIII.

RESPONDENTE

MICHAELE Rechen/

Stoessena-Misn.

WITTENBERGÆ

Typi CHRISTIANI FINGELII.

